

dens a voluntate condonante, et remittente, non ex vi satisfactionis, quam ipsa gratia secum afferat: neque enim gratia satisfacit cum sit Dei condonatio, et procedat ab ipso creditore condonante, sed quia ipsa gratia, seu justitia nobis inhærens, et quæ per merita Christi datur, est unica causa formalis nostræ justificationis, ut docet Concilium sess. vi, capite vii. Atque ita ipsa gratia sola ut formalis causa tollit peccatum moraliter, et physice in ratione mali, et ratione injuriæ; non tamen ut satisfactio, sed ut condonatio; quod est necessario advertendum contra Vazquez.

LXXIX. Ad ultimum argumentum respondetur. Ad locum D. Thomæ ex quarto sententiarum, dicunt Thomistæ in præsentī non loqui de satisfactione perfecta, et ex natura rei æquali, sed de imperfecta, et quæ supponit acceptionem gratuitam. Dicit enim, quod habet infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest. Hæc ergo infinitas non est infinitas condignitatis perfectæ, sed acceptionis gratuitæ: nam etiam ad acceptionem illam requiritur infinitas ex parte acceptantis; solus enim Deus potest acceptionem istam facere. Quando autem subdit D. Thomas, quod in idem redit satisfacere ex virtute meriti Christi, et per gratiam, quia gratia datur per fidem mediatoris, non loquitur de satisfactione facta immediate a Christo, sed de ea, quam nos facimus per gratiam receptam a Christo; nam satisfactio, ut correspondet nobis, etiam ut membra sumus Christi, non est ejusdem perfectionis, atque ut correspondet ipsi Christo, ut dicemus postea.

LXXX. Unde id, quod ultimo subdit S. Thomas: « Quod si alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio

per modum prædictam; » manifeste significat se loqui de satisfactione imperfecta, utpote ex illis verbis per modum prædictum, etc. Refert enim se ad modum satisfactionis antea dictum: ante autem locutus erat de satisfactione ex acceptione Dei secundum quam acceptum redditur id, quod homo reddere potest, quod totum est satisfactio imperfecta. Eodem modo intelliguntur verba ex quarto sententiarum ad Annibaldum, quia idem significant. Ad locum autem ex tertio sententiarum, distinct. xx, respondetur S. Thomam non dicere, quod homo in statu innocentiae poterat satisfacere ad æqualitatem; sed quod homo lapsus potest redire ad dignitatem tantam, quantam habuit in statu innocentiae: et ideo ad perfectam reparationem exigitur quod sit satisfactio æquivalens culpæ: quod vero ista æquivalentia fieret in statu innocentiae non dicit. Similiter in ultimo loco in iii, ad Annibaldum non dicit, quod contritio satisfacit ex radice, vel conditione personæ, sed quod pœna quæcumque etiam minima assumpta a Christo sufficeret quantum est ex conditione personæ ad satisfaciendum, plusquam quælibet contritio: de hoc enim procedebat argumentum.

ARTICULUS III.

Utrum contritio saltem ex imperfecta justitia satisfaciat pro peccato?

I. Hæc quæstio breviter resolvenda est, quia proprie non spectat ad hunc locum, sed ad materiam de pœnitentia, vel de justificatione. Quia tamen ad præcedentis quæstionis resolutionem aliquantulum confert, ut amplius explicata maneat ratio justitiæ, quæ in satisfactione

puri hominis invenitur, aliquid oportet in præsentī tangere de hac difficultate. Explicato enim quomodo gratia ipsa det valorem ad satisfaciendum, et quomodo tollat peccatum, restat videre quomodo actus ipse, quo justificamur, satisfacere possit.

II. Ut autem evitemus confusionem, et prolixitatem, quæ in hac difficultate enodanda, esse satis magna solet inter auctores, tria oportet prænotare tamquam fundamenta dicendorum. Primum est, quod contritio etiam ut est actus correspondens virtuti pœnitentiæ, modum aliquem satisfactionis observat, et formam justitiæ, etsi imperfectam; ita quod sicut per religionem reddimus Deo recompensationem honoris, et cultus, ideoque est pars potentialis justitiæ religio, quia modum habet justitiæ in reddendo debitum ita pœnitentia reddit Deo recompensationem pro offensa, puniendo peccatum eo modo, quo potest, ideoque est pars potentialis justitiæ, ut determinat D. Thomas iii part. quæst. lxxxii, artic. iii, quia habet pro materia compensationem pro offensa, quæ dicit commutationem quamdam, quæ est materia justitiæ. Unde inquit sanctus doctor, quod est manifestum pœnitentiam esse partem justitiæ, potentialem tamen, quia non reddit justum æquale. Unde et notanter dixi pœnitentiam habere modum justitiæ satisfaciens, et hoc ut certum supponimus. Quem autem valorem habeat id, quod offert in tali modo commutationis, et satisfactionis; et qua ratione imperfectam rationem justitiam attingat, vel non attingat ex parte valoris oblatis in recompensationem, est difficultas deinceps inquirenda.

III. Secundum quod supponimus est contra patrem Vazquez 1-2, disp. ccciii, quod contritio (etiam ut in-

THEOLOGIA VIII.

formatur a charitate) solum est dispositio ad infusionem gratiæ, et remotionem peccati tam quoad maculam, quæ physice, et intrinsece est in homine quam quoad rationem injuriæ, quæ tollitur per remissionem. Sententia enim patris Vazquez in hoc consistit, quod parvuli, et adulti, qui sola attritione cum sacramento justificantur, non possunt nisi per habitum justificari, idque de fide catholica esse, cum justificentur per inhærentem justitiam, et consequenter per aliquod accidens superveniens ipsi animæ, et non per operationem, cum parvuli illam non habeant; attriti autem operationem habent, cui gratia non est conjuncta ex se, et sine sacramento; ergo oportet, quod alio accidente justificentur, quod non sit operatio. At vero adulti, qui actum contritionis eliciunt, licet de facto justificentur per habitum, et eis infundatur quidquid parvulis infunditur, quia tamen adhuc definitum non est omnem justificationem fieri in nobis per habitum, probabile esse dicit, quod solus actus contritionis charitate formatus justificare non possit, etiamsi de potentia absoluta habitus non infundatur, et quod actualiter convertit hominem in Deum, ut ultimum finem, et avertit eum a fine contrario; ergo remoto quocumque habitu per solam conversionem actualem, tollitur macula seu aversio a fine ultimo, et redditur homo Dei amicus, et in Deo manens, et Deus in eo, et cætera omnia, quæ gratiæ justificanti solent attribui.

IV. Alii etiam dixerunt contritionem non esse quidem formam, qua formaliter justificetur homo; esse tamen dispositionem ultimam, ita necessario connexam cum gratia, et remissione peccati, quod de justitia faciat illam debitam, et sine nova misericordia dandam: non quidem

de justitia omnino rigorosa, sed fundata in acceptione Dei, qua misericorditer largitus est auxilium, a quo contritio procedit. Quæ sententia attribui solet Paludano, et Scoto, magistro Soto, magistro Bagnez prima parte, quæst. XXI, art. IV, in fine.

V. Nos autem, etsi probabile existimemus nondum esse definitum justificationem fieri per habitum, supponimus tamen contra Vazquez, nullo modo fieri posse nisi per habitum, et contra aliorum sententiam, non posse esse dispositionem necessario connexam cum justificatione a peccato ex natura sua, sed ex misericordia Dei; itaque habet se contritio sicut dispositio passiva ad suscipiendam gratiam, non sicut activa, quæ illam inducat: sunt enim quædam dispositiones pure passive se habentes, cum quibus non habet immediatam connexionem forma inducenda, sed mediante alio agente libere vel contingenter inducente formam; sicut diaphanum est dispositio respectu lucis, et rotunditas cœli est dispositio ad motum circularem, et tamen motus ille debet induci mediante intelligentia libere movente, et lux mediante luminoso contingenter applicato. Aliæ dispositiones sunt immediatam connexionem habentes cum forma, sicut calor ut octo cum igne, et ista vocatur dispositio necessitans ad formam, nec indiget alia actione, quam illa, qua talis dispositio ponitur; ex vi enim talis actionis inducitur etiam forma. At vero illa alia dispositio præter actionem, qua producit, et convenit subjecto, indiget alia actione producente formam, sicut præter diaphaneitatis productionem oportet alia actione induci lucem a luminoso, licet non teneat exemplum quod omnia, quia diaphaneitas antecedit lucem tempore; contritio vero simul est cum gratia, in quo assimilatur calori ut

octo respectu ignis, ut dicit S. Thomas XXVIII de veritate, artic. VII ad undecimum.

VI. Hoc ergo ratione declaramus contra utramque sententiam, quomodo contritio se habeat ad gratiam et remissionem peccatorum. Primo enim se habet ut dispositio, et secundo tamquam dispositio non immediatam habens connexionem cum gratia, sed mediatam, scilicet mediante misericordia Dei, quæ lucem gratiæ causat in subjecto contrito. Et ita in Scriptura assignatur contritio, et conversio ad Deum tamquam actio, super quam cadit misericordia Dei sanans animam, et justificans (ita quod ipsi contritioni fit promissio remissionis peccatorum: non fieret autem si esset forma id formaliter faciens; quis enim albedini promittet facere album) Ecclesiastici enim XVII dicitur: *Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se*: Psalm. XXXI: *Dixi: Confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei*, ubi prius ponitur confessio, seu actus pœnitentiæ, deinde Deus, ut remittens tollit peccatum; ergo adhuc ut beneficium novum, et gratiam faciens; et Jerem. III: *Convertimini filii hominum revertentes, et sanate aversiones vestras*: Psalm. LIX: *Sana contritiones ejus, quia commota est*: et in CXLVI: *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum*: et Proverb. XXVIII: *Qui abscondit scelera non dirigitur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Quibus locis præter contritionem, et actum pœnitentiæ requiritur sanatio Dei, et misericordia ad justificationem, in qua consistit sanitas animæ, ita quod hæc supervenit contritioni cordis, tamquam præsuppositæ dispositioni.

VII. Et Concilium Tridentinum formalem causam nostræ justificationis

explicans sess. VI, cap. VII, dicit: « Unicam formalem esse justitiam in nobis inhærentem, qua donati a Deo renovamur spiritu mentis nostræ. » Cum ergo constet contritionis motum non semper in nobis inhærentem, sed transire; quo modo ipso transeunte, posset verificari nos esse justos per inhærentem nobis justitiam, tamquam per unicam causam formalem? Et si parvuli justificantur non per motum contritionis, et Concilium dicit esse unicam tantum causam formalem: ergo non alia justificamur nos, quam ipsi; nam ly unicam excludit omnem aliam. Et quidquid sit an voluerit excludere Concilium causam extrinsecam justificationis, et solam extrinsecam definire (ut vult Vazquez 1-2, disput. CIV, cap. IX) tamen illam, qua parvuli justificantur, certum est non esse motum contritionis: ergo illamet, qua parvuli justificantur formaliter debet esse, qua justificamur nos; alioquin non esset unica formalis causa in illis, et in nobis.

VIII. Et inde conficitur fundamentum pro hac parte: Quia motus contritionis habet duo, quibus valde deficit a formali justificatione. Primo, quia non est aliquid permanens, etiam ut formatus charitate, quia etiam ut formatus est actus, et non habitus; et consequenter, neque permanenti modo justificat, neque destruit habitualement, et permanentem maculam peccati quæ non potest destrui, sicut gratia per impedimentum influxus, et conversionis ejus in subjecto. Destruitur ergo solum per oppositam formam; ergo hæc debet esse aliquid habituale. Secundo, quia non opponitur moralitati offensæ; neque enim est sufficiens compensatio ipsa contritio activa, cum sit actio nostra, neque sit ipsa contritio condonatio Dei, aut effectus condonationis ejus in nobis; tum, quia remissio est permanens

de se, et ita non potest pro effectu habere transitorium actum solum; tum, quia hoc pacto non verificarem, quod Deus condonaret peccata pœnitenti, si quidem ipsa pœnitentia esset effectus condonationis divinæ; cum autem effectus sit posterior causa, consequenter si pœnitentia illa esset effectus remissionis divinæ, supponeret activam condonationem non cadere supra hominem pœnitentem, sed sicut impenitenti inspiratur pœnitentia, ita et impenitenti tribuitur remissio; quod est valde absurdum.

IX. Imo sequitur, si contritio habet de se sufficientem vim ad remissionem peccati, quod quando infunditur gratia, jam invenit peccatum remissum, et consequenter ipsa infusio gratiæ nihil operatur ad remissionem peccati in re, et de facto. Sequela patet, nam si contritio formaliter tollit peccatum de potentia absoluta, vel hoc facit mediante aliquo favore extrinseco ei superveniente; vel secundum propriam rationem, et formalitatem. Primum non admittit Vazquez, quia hoc non est formaliter tolli per contritionem peccatum intrinsece, sed per pactum extrinsece, quod simpliciter non est tolli. Si secundum; ergo si Deus modo operetur conformiter ad naturam contritionis, et non modum impediatur naturalem ejus in causando, formaliter etiam per illam tolletur peccatum, si quidem ex natura sua id potest: ergo quando postea gratiam infundit, per illam gratiam peccatum non remittitur formaliter, quia invenit illum remissum. Quod omnino falsum esse constat, nam gratiam, et charitatem concurrere ad satisfactionem, et ab illa non excludi, constat ex Tridentino, sess. VI, canone XI, et ex justificatione parvulorum, quibus remittitur peccatum per infusionem gratiæ: absurdum est autem dicere

aliter justificari adultos, quam parvulos; et ex ipso etiam peccato constat, quia per ipsum perditur gratia tamquam forma ei opposita; ergo gratia formaliter tollit peccatum, et justificat nos, non vero contritio.

X. Unde ruit fundamentum Vazquez, nam actus contritionis convertit quidem hominem actualiter ad Deum, non tamen habitualiter, neque tollit aversionem, seu maculam habitualementem, cui non opponitur formaliter, unde Deus nondum diligit illum hominem ut gratum sibi, ex parte personæ, sed ex parte actus, et ita relinquit hominem habitualiter aversum; neque etiam est ipsa condonatio Dei, ut tollat peccatum moraliter in ratione injuriæ, unde solum est dispositio actualis conversio ad habitualementem conversionem, sine qua non est justificatio: neque Deus dicitur habitare in homine, neque esse in illo per modum habitationis, quæ indicat quid habituale, et permanens. Et si dicas: Ergo similiter peccatum non tollit gratiam, neque illi opponitur formaliter, quia est actus, et gratia habitualis, respondetur quod peccatum ratione actus non destruit gratiam tamquam forma opposita directe, sed ut opposita directe ipsi influentiæ divinæ tamquam impedimentum præstans, ne influat Deus lucem gratiæ in anima. Sicut claudens fenestram opponitur lumini, seu influentiæ solis, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. xxiv, artic. xii. Et ex hoc impedimento necessario sequitur privatio, seu macula, et quasi umbra in anima per modum permanentis: quamdiu enim est impedita influentia lucis, umbra seu macula permanenti modo est, et tollit lucem.

XI. Et ex hoc convincitur altera sententia, quæ dicebat contritionem esse dispositionem necessario connexam cum gratia. Dicimus enim, quod contritio taliter est dis-

positio, quod gratiæ infusio, et remissio peccati in ratione injuriæ est omnino gratis, et ex misericordia Dei illi conjuncta, et est divinum beneficium ab ipsa contritione distinctum; et infusio gratiæ, et ablatio peccati, quæ est quasi secundus effectus ejus, non secundarius positivus, sed privativus, seu negativus, id est, corruptio formæ oppositæ, quæ non separatur a primario formali. Ista inquam infusio gratiæ, et ablatio peccati fit omnino gratis, non solum in sua radice, sed in se formaliter; ergo non potest habere necessariam connexionem cum dispositione aliqua antecedenti, quia quod est necessario connexum, nullo modo datur gratis posito illo, cum quo connexionem habet. Sicut posita gratia in eo, qui decedit ab hac vita, non est nova gratia dare illi gloriam. Et ita gloria non datur gratis simpliciter loquendo, et in se formaliter, licet detur in sua radice, scilicet, quia gratia, quæ est radix gloriæ, gratis datur. Quo sensu dicitur ad Rom. vi: *Gratia Dei est vita æterna*. Si ergo contritio habet similem connexionem cum remissione peccati, quæ est necessario ei debita, ipsa remissio peccati non poterit dici, quod fiat gratis, nisi in sua radice, quia scilicet auxilium ad contritionem datur gratuito, et sic absolute dicetur, quod non fiat gratis, sicut absolute dicitur, quod gloria datur ex justitia. Aut saltem sequitur, quod ista locutio sit falsa: Pœnitenti gratis remittitur peccatum, et ista vera: Pœnitenti ex debito, et ex justitia remittitur peccatum. Imo absolute non est dicendum, quod remittitur pœnitenti, quia remissio est veniæ condonatio. Ubi autem intercedit justitiæ debitum, et necessaria connexio, condonatio locum non habet, nec remissio: constat autem, tam ex Scriptura, quam ex Tridentino sessione

septima, octava et nona, peccata gratis remitti, et nos justificari gratis, etiam post dispositionem ad quam justificatio consequitur; de ea enim loquitur Concilium. Posita ergo dispositione adhuc gratis fit remissio.

XII. Et manifeste declaratur, quia omne debitum ex justitia, quod intervenire potest, vel est de justitia meriti, vel satisfactionis, vel naturalis, et physicæ connexionis, sicut inter formam, et ultimam dispositionem. Meritum quidem non est, alias homo per contritionem meretur de condigno justificari, quod est hæreticum contra expressam diffinitionem Tridentini sess. vi, viii, ubi inquit: « Ideo nos gratis justificari, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur. » Contritio autem præcedit ipsam justificationem, tamquam opus quoddam, et dispositio: ergo; satisfactio etiam ad æqualitatem non est, cum ex dictis articulo præcedenti; tum, quia illa contritio non procedit ab homine justo, sed ad justitiam tendente; ergo ut procedit ab homine, non habet valorem satisfactionis æqualis respectu Dei; cum enim persona non sit accepta Deo, nec ejus satisfactio prout oblata a tali persona erit Deo accepta. Nec denique est naturalis, et physica connexio inter contritionem, et infusionem gratiæ, seu remissionem peccati, quia gratia non requirit physicam dispositionem cum a solo Deo physice fiat; neque ut uniatur subjecto, cum in parvulis reperitur, et uniatur seclusa contritione; et cum gratia sit in anima, contritio vero in voluntate. Restat ergo ex his falsam esse secundam sententiam ponentem necessariam connexionem inter contritionem, et gratiam.

XIII. Tertio, supponimus quod

contritio in duplici statu consideratur, scilicet, ut formata, et ut subsequitur gratiam, et ut antecedit formationem, et per modum dispositionis se habet ad gratiam. Qui duo status non sunt aliud, quam duo respectus, et dependentiæ ipsius contritionis secundum diversam prioritatem naturæ, secundum quam in una consideratione se habet, ut causa, et antecedit; secundum aliam se habet, ut effectus, et subsequitur (causæ enim ad invicem sunt causæ, et consequenter ad invicem etiam sunt causatæ.) Cæterum contritio sub formalitate, et statu dispositionis non procedit effective a gratia, sed a libero arbitrio, et auxilio supernaturali; sub ratione autem formationis procedit a gratia effective. Nam ut dicit D. Thomas quæst. xxviii de veritate, artic. viii, solutione ad tertium: « Contritio procedit a libero arbitrio, et a gratia, et secundum quod procedit a libero arbitrio est dispositio ad gratiam, simul existens cum gratia: sed secundum quod est a gratia comparatur, ut actus secundus ad gratiam. » Quod explicans amplius solutione sequenti respondens argumento, quod fecerat, quod: « Effectus causæ efficientis nunquam est dispositio ad causam efficientem; contritio autem est effectus gratiæ, ut causæ efficientis; nam eodem modo, et genere causæ concurrunt potentia, et habitus, scilicet in genere causæ efficientis; ergo ad gratiam non disponit contritio, » respondet sanctus doctor: « Quod sicut actus formaliter perficit potentiam, ita id, quod ex habitu relinquitur in actu est formale respectu substantiæ actus, quam potentia ministrat, et sic habitus est principium formale actus formati, quamvis respectu formationis habeat rationem causæ efficientis. »

XIV. Ex qua doctrina intelli-